

X 231 6833

EXPLOSA CARTESII DVBITATIO.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO III,

DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE QVOQVE ET WESTPHALIAE, COMITI
PROVINCIAE THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, PRINCIPIS
DIGNITATE COMITI HENNEBERGIAE, COMITI MARCAE
ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINI,
TONNAE, REL.

DOMINO ET PATRIAE PRINCIPI LONGE
CLEMENTISSIMO,

DIEM NATALEM AVSPICATISSIMVM

VII KAL. MAII, A. R. S. MDCCCLXII

ARDENTISSIMIS MVSARVM VOTIS QVAM FELICISSIME REDEVNTEM

QVATVOR BONARVM ARTIVM ALVMNORVM

TOTIVS COETVS NOMINE LAETISSIMO PECTORE GRATVLANTIVM

ORATIVNCVLAS

V.T

ILLVSTRISSIMVS COMES, PROVINCIAE EISENBERG.
PRAESES EMINENTISSIMVS,

PERILLVSTRIS AVLAE PRAEFECTVS,

GRAVISSIMI ATQVE SPECTATISSIMI SCHOLAE INSPECTORES

ET IN HIS

MAXIME VENERANDVS EPHORVS,

VT ET OMNES FAVTORES ET REI SCHOLASTICAE AMPLIFICATORES

BENEVOLENTISSIME AVDIRE NON GRAVENTVR,

OBSERVANTISSIME ET PERAMICE

ORAT ROGATQVE

M. IOH. DAVID GSCHWEND, RECT.

EISENBERGAE,

EXCVDEBAT CHRISTIANVS HENRICVS WALTHERVS.



Saxoniae quondam Electores, *Iobannem* et filium, *Iobannem Fridericum*, alterum quidem *Constantis*, alterum *Magnanimi* agnomina, animi partim firmitate, partim eadem cum animi magnitudine coniuncta sibi comparasse, perpetua fama et omnium sermone celebratum est. Alium desuper honesto pacis studio, alium singulari pietatis amore et quam plurimos aliis iisque excellentissimis virtutibus inclaruisse, tam certum est atque exploratum, vt omnium scriptorum fidem dubiam suspectamque reddere sicque rei in veritatis lucem prolatae tenebras offundere videretur, si quidam his animi decoribus condecoratissimos in terrarum orbe vnquam Principes exstitisse negaret. Tantum itaque abest, vt eiusmodi ornamenta vlli sint despiciantur, vt potius honorificentissime de iisdem iudicandum et eadem sempiterna memoria retinenda esse statuatur. Attamen dici non potest, quo mentes oblectamento, audito patriae Patris suauissimo nomine, capiuntur, nisi hic patris comis humanique instar, liberos tenerissimo complectentis amore, esse credatur eiusque parentis, qui ex se natus est, quod nauigantibus portus, quod viatoribus diuersorium, quod oppressis afflictisque asylum, Froinde ciues nulli dubitant, quin ipsorum portus et sinus et ara Principis habendus sit. Non tot imbres, tot nimbi, tot procellae aliaeque tempestates in mundo oriuntur, quam quidem respublica calamitatum iniuriis affligitur. Quo, reipublicae nauis in alto, tempestate acerbi et diuturni belli, fluitante, se subditi vertant, quem portum petant, cui se credant, nisi patriae Patri? In hoc vel durissimis afflictionibus collocata fiducia sese respublica existimat tutissimam, pariter ac suam salutem patriae Patri quam maxime curae esse atque cordi arbitratur. Quae compellatio quam accepta quoque subditis, tam grata est patriae Principi, quid? plura hanc facit, quam olim victor et ciuitatum expugnator forte, ciuici redimiri corona, fecerit. A christiana religione alienis haec appellatio tantum delectationis attulit, vt eam plura duxerint, quam amplissima ac magnificentissima supremarum dignitatum nomina. *Traianus*, Romanorum Imperator, a scriptoribus eiusdem gentis celeberrimis summis laudibus ad coelum elatus, patriae Patris notionem Imperatoris titulo longe antetulisse perhibetur et *Tullio*, Consuli romanae gentis dignissimo, nulla vox tam suauis fuisse legitur, quam patriae Patris, non ignaro, populum eo se amore complecti, quo liberi parentem, ex quo prognati; ipse quoque eundem in liberorum locum adoptasse videbatur. Cuiusmodi patriae Patres recta atque vtilia subditis tradendo excitant venerationem, qua liberi omnium obsequentissimi parentes excipiunt pietatis laude caeteris anteferendos, inprimis quum de subiectorum salute die nocteque cogitantes bona parta conseruare, non parta comparare, mala praesentia depellere, imminencia vero euitare studeant. Digni hi sunt, qui amentur, quod ciues impense amant.

Ne vlla vero de *Traiano*, quo meliorem orbis romanus non vidit, fiat mentio, nisi honorifica, nec de *Tullio*, eadem de republica quam optime merito, Patrum patriae nominibus mirum in modum gauisus: ciues tamen harum terrarum ad vnum omnes conspirante et paene consilato sunt consensu, SERENISSIMVM PRINCEPEM ATQVE DOMINVM, DOMINVM FRIDERICVM III, DVCEM SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE AEQVE AC WESTPHALIAE, COMITEM PROVINCIAE THYRINGIAE, MARCHIONEM MISNIAE, PRINCIPIS DIGNITATE COMITEM HENNEBERGIAE, COMITEM MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTEN RAVENSTEINI, TONNAE, REL. PRINCEPEM AC DOMINVM NOSTRVM LONGE CLEMENTISSIMVM, dulcissimo PATRIS PATRIAE nomine vehementissime oblectatum quam longissime hos paganorum patriae patres bonitate post se relinquere. Quin immo EIDEM tanta est bonitas, vt plurimos Principes vitam adhuc degentes ea superet; SERENISSIMO pariter ea clementia est atque munificentia, vt Principum neminem SIBI antecire patiatur: SERENISSIMVM enim non fugit, nihil tam populare esse, quam bonitatem, nec vllum sanctis de his moribus admirabilem clementiam, nec gratiorem munificentiam. Et quem praeterit, Principem ad DEVM nulla re propius, ac his animi affectionibus, accedere et sigillatim nihil habere fortunam SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI, quam vt possit, nec IPSIVS naturam melius, quam vt velit subditos

tos conferuare? CLEMENTISSIMVM PATRIAE PATREM dicentem audire videor ;
 „ Arrideant splendidissimi et omnibus numeris absoluti Ducum, Marchionum, Comitum
 „ tituli: ne vllus tamen suauior mihi est auditu atque acceptior, quam *patriae Patris*,
 „ quae efficit, vt hac turbulenta tempestate ad me se recipiant perflugiantque ciues. „
 „ Omnino res ita se habet, populo incredibili esse solatio, quod tali animo, quali parens
 erga liberos esse confuescit, IPSVM erga sese animaduertit. SERENISSIMVS PRIN-
 CEPS ipsi est portus, sinus, ara et quod sub EIVSDEM mitissimo regimine quiete
 perfruitur exoptatissima, in EVM amore flagrat terrerrimo. Equidem omni calamitate
 non est immunis: nihilo tamen fecius SERENISSIMI PRINCIPIS diuina impediuit
 prouidentia, quo minus domus dirutae, ignes aedibus subiecti, regiones vastatae et exi-
 nanitae ac ciuium sanguine armati suam expleuerint crudelitatem.

Nonne igitur ingentem voluptatem de *Die Natali auspiciatissimo* SERENISSIMI
 PRINCIPIS subiectorum quisque percipiat? Immemores sint votorum iam soluendo-
 rum? Non laetitia de CLEMENTISSIMI PATRIAE PATRIS incolumitate exsultent
 Mularum Alumni? Quod Romani quondam Imperatoribus, hoc SERENISSIMO
 PRINCIPI: *Vitam prolixam, Imperium securum, Domum tutam, Amicos fideles,*
Populum probum, discipuli nostri deuotissime optant. Doctam quippe Cathedram

Ornatissimi bonarum artium scientia,

IOHANNES CHRISTIANVS SEIFFARTVS, Camburg. Idiomi. Lat.
 de eo sermonem votis praemissurus, *quod optimum omnium;*

CHRISTIANVS FRIDERICVS GEVSENHEVNER, Magno
 Eitersdorffio, cod. Idiomi. de eo, *quod omnia Sapientia superat;*

IOHANNES GODOFREDVS KLOSTERMANN, Monasterio
 Lusniceni oriundus, Vernacula, de eo, *quod vtilitate caetera antecellit;*

FRIDERICVS SAMVEL THEOPHILVS BORN, Skoelens. eadem
 lingua, de eo, *quod eminet pulchritudine;* confendent.

Qui oratores eam litterarum studiis nauarunt operam, vt Patronorum Fautorumque
 beneuolentia se non indignos reddiderint. Benignissimus DEVS SERENISSIMI PA-
 TRIAE PRINCIPIS regimen omnium felicissimum, valetudinem admodum secundam,
 aetatem nestorea longiorem! simulatque SERENISSIMAM CONIVGEM, SERENIS-
 SIMVM PRINCIPEM HEREDEM CVM TOTA DOMO SAXONICA GOTHANA
 SERENISSIMA, quam diutissime saluam et incolumem esse velit! Quas preces certe
 audieturus est, de cuius existentia dubitare non solum periculosum, sed etiam quam
 maxime impium et inhonestum duco, quod tamen alter seculi sui *Archimedes* pium
 ac honestum dicere non erubuit.

Magni nominis, nec inferioris famae Vir, *Renatus Carresius, Gallus*, gloriam
 hoc conspurcauit Paradoxo, quod, de DEI existentia dubitare, pium esse atque hone-
 stum statuit. Ipsum non nisi dubia aluisse, ratum, ad solidam eruditionem dubitando
 hominem tantummodo peruenire posse et adeo suam existentiam in dubium vocasse,
 nec prius ad saniozem rediisse mentem, vsque se cogitare animaduertit, inde dubio
 solum exclamasse: *Cogito, ergo sum:* admodum constat. Ergo *Carresius* est et non
 est *Carresius*? Famem, qua laborat, ipse depellit, sed non *Carresius*; sitim sentit eam-
 que idem homo sedat, alit non *Carresius*; sic et cum dormitante et cubitum eunte, cum
 peregre abeundi cupido et capto consilio ad diuersorium diuertendi, cum idem curru re-
 licto ingrediente se habet. Putas, hominem sapere, qui sapere se putat? *Carresio* suam
 ipsius existentiam dubitationem adferre potuisse, nonne in admirationem traduceretis?
 Ergo et sensus interpretes esse atque nuncios rerum, in capite tanquam in arce misisse
 ad vsus necessarios et factos et collocatos negat? Quodsi nihil certi percipi potest, cui
 sunt vsui? Oculis quidem non cernere videmur ea, quae videmus, neque vllus sensus ita
 dictus est in corpore, sed viae quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi
 per-

FR II 236

perforatae et quasi eiusdem fenestrae: *Epicurus* tamen eos veri nuncios vocando homini tanquam satellites attribuens, quorum beneficio rerum plurimarum obscuras et necessarias intelligentias, quasi scientiarum fundamenta enodare queamus, non fallere affirmat. Quum veri sunt nuncii: quid ambigit, an fallant, nec ne? Quare suam ipsius existentiam dubiam facit atque incertam? Nac! si sensuum viae non violatae, si obiectum, quod dicimus, non nimis a sensibus remotum, si nihil est obstaculi atque impedimenti rem inter percipiendam atque sensus, hos amplius fallere contenderes? Quid itaque, an ipse exiit, porro *Cartesius* haeret? At et extra se res existere nonne intellectu facile fuisset, si quidem vi frigorum et hyemis auctae se exposuisset aut manum per quoddam temporis intervallum igni admouisset. Quibus rebus bene ponderatis num ipsius antesignanis, siue *Democritus*, siue *Pyrrho* sit, sua ipsorum existentia aliarumque rerum in dubium venire quivisset? Proinde *Cartesium* tam recordem fuisse audacia, ut DEI existentiam in incerto relinquere potuerit, non absque stupore legi, inprimis, quum paganus de eiusdem existentia ne vllum fuerit dubium. DEVM esse, adeo inquirunt, qui sentiat, qui meminere, qui provideat, qui regat et cuncta moderetur. DEVM esse, qui mutationes temporum, astrorum cursum, rerum vicissitudines, ordinesque conseruet, terras et maria contemplans hominumque commoda et vitas tueatur. Addunt: Eundem esse immortalem, aeternum, a quo primordia omnium rerum capienda. Qua de causa ne vllam quidem gentem tam immanuetam, tam feram, tam immanem esse, cuius mentem non imberit DEI opinio, quae non, etiam si ignoret, qualem DEVM habere deceat, tamen habendum sciat, neminemque tam recordem credi, quum suspexerit coelum, qui, DEVM esse, non sentiat. Omnibus hinc innatum animis et quasi insculptum, esse DEVM. Omnino autem coeli terraeque Creatorem statuisset paganos, haud obscurem duco: quoniam confutant *Epicurum*, omnia casta facta, contendentem. *Thales*em adeo dixisse ferunt: DEVM omnia cernere et omnia esse DEI plena. Qua sententia sui seculi homines commonefecit, ut prudenter ambularent, quod DEVM cogitata non fugiant, nec dum facta. Quid? saniores pagani, contra DEVM disputare. malam staturunt consuetudinem; timide potius de DEI potestate dicere, consultius duxerunt.

Cartesio igitur rubor excutitur, quod honestum, quod pium. DEI existentiam in dubium vocare, existimant. Nonne pietatis studium in virtutum numero collocari pietasque omnium virtutum fundamentum vocari solet, qua aduersus DEVM sublata fides etiam et societas generis humani et vna excellentissima virtus, iustitia, tollatur? Sic nec pium; nec honestum quoque negotium ferendum est: si quidem cum eodem ita comparatum est, ut per se ipsum laudari possit et propter sese sit expetendum. Idem diuina autoritate nititur et DEVM habet autorem.

De caetero quum nomina sint inuolucra rerum et non facile notatio percipiatur, quae rei ipsius existentiae expers sit: quare DEI, cuius sanctissimum nomen vbiuis obuium, existentiam negemus? Aedificia quaedam et admirandas moles, *Mausoli* monumentum, babilonios muros, Pyramides, Labyrinthos, Hortos pensiles, Templum Dianae ephesinae, Colossus Solis, miracula mundi vocet *Plinius*: quae tamen hominum opera: an vero vnquam eiusmodi miracula, sicco pede maria atque flumina transire, coecis visum, surdis auditum resistere, mutis linguae vincula soliere, defunctos in vitam reuocare, a mortalibus sunt edita? Haec omnes excedunt naturae vires et sunt folii supremi DEI opera. An vnquam tabula visa est, quae se ipsam pinxerit aut horologium, quod se ipsum construxerit, aut contignatio, quae se ipsam composuerit? Quibus tamen conspectis non incepte crederes: oportere esse fabrum lignarium, fabrum automatarum, pictorem artificiosissimum? Quidni visio tam magno mundi theatro iudicares, esse oportere Creatorem, quem DEVM vocamus, qui coelum, terram, maria creauerit creaturaeque conseruet? Consule vaticinia, quibus euentus nongentis annis elapsis respondit.

Argumentis tam luculentis peiores homines quosdam altero dari

Archimede, nonne obstupesceres?



nc

7-X. 17, 10

II f
236

X 23A 6833

EXPLOSA CARTESII DVBITATIO.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO III,

DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE QVOQVE ET WESTPHALIAE, COMITI
PROVINCIAE THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, PRINCIPIS
DIGNITATE COMITI HENNEBERGIAE, COMITI MARCAE
ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII,
TONNAE, REL.

DOMINO ET PATRIAE PRINCIPI LONGE
CLEMENTISSIMO,

DIEM NATALEM AVSPICATISSIMVM

VII KAL. MAII, A. R. S. MDCCCLXII

ARDENTISSIMIS MV SARVM VOTIS QVAM FELICISSIME REDEVNTEM

QVATVOR BONARVM ARTIVM ALVMNORVM

TOTIVS COEIVS NOMINE LAETISSIMO PECTORE GRATVLANIVM

ORATIVNCVLAS

ILLVSTRISSIMVS COMES, PROVINCIAE EISENBERG.
PRAESES EMINENTISSIMVS,

PERILLVSTRIS AVLAE PRAEFECTVS,

GRAVISSIMI ATQVE SPECTATISSIMI SCHOLAE INSPECTORES

ET IN HIS

MAXIME VENERANDVS EPHORVS,

VT ET OMNES FAVTORES ET REI SCHOLASTICAE AMPLIFICATORES

BENEVOLENTISSIME AVDIRE NON GRAVENTVR,

OBSERVANTISSIME ET PERAMICHE

ORAT ROGATQVE

M. IOH. DAVID GSCHWEND, RECT.

EISENBERGAE,

EXCVDEBAT CHRISTIANVS HENRICVS WALTHERVS.

